

AD
RECENSIONEM
BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,
A NOBIL. A CELSE EDITAM,
ACCESSIO.

CUJUS PARTEM XI,
CONS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,
PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

*Eloq. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari, R. Acad. Litt.
Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ. Sc. Upsal. &c. Socio,*

Publicæ honorum censuræ submittit

JOHANNES SARELIUS,

Stip. Reg. Ostrobotnienfis,

In Audit. Maj. die XV Decemb. MDCCC,

ABOÆ, Typis Frenckellianis.

THESES RESPONDENTIS.

Thes. I.

Non magni est illorum diligentia facienda, qui iis rebus demonstrandis, de quarum veritate nemo sanus unquam dubitavit, illisque vocabulis definiendis, quæ omnes intelligunt, operam impendunt.

Thes. II.

Causam differentię hominum moralis ex educatione & ideis usque ab infantia iis inculcatis, exemplisque eorum quibus in pueritia familiarissime utuntur, vehementer pendere, facile est intellectu.

Thes. III.

Etiam si natura uni homini majores quam alteri concedat dotes; æqualitas tamen juri humanorum naturalis ea re haud tollitur.

Thes. IV.

Ut in Picturis & modis Musicorum dijudicandis, ad sensum pulchritudinis, oculi infœti auresque agreſtes sæpe torpent; ita in ornamentis oratoriis æstimandis homines artis imperiti turpiter haud raro titubant.

Thes. V.

Cum duplex jam apud nos in usu sit latinitatis genus, alterum ad quod Aucto- ritus legendis lingvæ Classicis manuducimur, alterum quod ex elementis artium atque disciplinarum haurimus, barbære plerumque & horridè propositis; fieri nequit, quin multum molestiæ ac turbamenti hinc studioſæ literarum juventuti creetur, lingvæque latinæ discendæ difficultas vehementer augeatur.

Thes. VI.

Dubium non est, quin ex versionibus scitis atque accuratis auctorum Græcorum atque Latinorum præcipuorum in lingvam Svecanam, multum ad hanc emolumentum esset redundaturum, quæ nunc nimis ad lingvæ Franco-Gallicæ rationem a multis fuit comparata. Difficultate vero illud institutum non minore premi, quam usu se commendare eximio, vel summa (turpis sane) qua laboramus talium versionum inopia, prodere videtur.

Thes. VII.

Spem, quam haud pauci Philosophi, de crescente paullatim magis magisque cultura, luce atque vera felicitate humani generis fovent lætissimam, haud certissimis nitii fundamentis credas, cum alio tempore, aliis in populis aliisque terræ partibus easdem retrogradi, ubi in aliis progrediuntur, observes, ita ut hoc in orbe sedes iis beatæ & constantes vix esse videantur destinatæ.

tie & Gothorum. Rome apud S. Petrum anno incarnationis &c. 1457, XIV Kal. Novemb. Pont. A. III. (1457 d. 19 Oct.) Hanc Bullam (e Bullario Örnhielmiano exscriptam) totam exhibet A CELSE l. c. p. 195 sq. N:o 7.

SIXTUS IV.

I. Guillelmus (a) Episcopus Ostiensis, Sacro-S. Romane Ecclesie Cardinalis, Rothomagensis, Domini Pape Camerarius Vicarius, Universis &c. Rome die XII Octobris 1480, Pontificatus -- Sixti Pape IV A. X. Testatur Conradum (b) Episcopum Strenginensem per Procuratorem suum Reginaldum (c), Canonicum Upsalensem, linina Apostolorum (Romanam Curiam) pro duobus trienniis visitasse; sed nihil tamen dedisse. — Ex To. 40 Diversf. Camer. p. 109 t.

INNOCENTIUS VIII.

I. Raphael S. Georgii ad Vellus Aureum Diaconus Cardinalis, Domini Pape Camerarius, Universis &c. Rome in Camera Apostolica Anno &c. 1484 die 5 Mensis Januarii, Pontif. Innocentii Pape VIII Anno I. Testatur, solita formula, Jacobum (Ulfonis) Archiepiscopum Upsalensem, pro triennio Romanam Curiam, per Procuratorem suum Jacobum Ghislaum (a), Canonicum Ecclesie Upsalensis, visitasse. — Ex To. 44 Diversf. Camer. p. 51.

O

2. Ad

(a) Guillelmus de Estouteville, Archiepiscopus Rothomagensis, Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus. Vid. CIACONIUS l. c. T. III. p. 2.

(b) Rogge: cfr. RHYZELIUS Episcoposc. P. I. p. 217 sq;

(c) Hunc inter Canonicos Upsalenses, in edito a SCHEFFERO Catalogo veteri Sacerdotum Ecclesie Upsalensis, (sæpius citato,) commemorari non invenio.

(a) Gislonis? Neque hujus viri meminit Catalogus vetustus a SCHEFFERO editus. Cæterum literæ ipsæ recensentur apud Dn. A CELSE l. c. p. 207. N:o 1.

2. *Ad perpetuam rei memoriam.* Rome apud S. Petrum Anno Æc. 1488, IV Non. Maji a. IV (1488, d. 4 Maji). Petente Johanne Rege Daniæ, Svetiæ & Norvegiæ, Papa privilegia, gratias, immunitates, libertates, exemptiones, indulgentias & indulta, confirmat, a Romanis Pontificibus ac etiam Rom. Imperatoribus, eisdem Regi, (quem ob ejus eximiæ devotionis affectum & integram fidem, quibus Papam & Romanam reveretur ecclesiam, hic singulari affectione prosequitur) suisque prædecessoribus, eorundem Regnorum Regibus, concessa; mandans Lundensi, Roskildensi & Viburgensi Episcopis, ut præfato Regi ejusque successoribus eorundem Regnorum Regibus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, nec permittant eos per quoscunque desuper indebite molestari. — Ex Reg. Literar. Apostolicar. Innocentii P. P. VIII To. 35 p. 32 t.

ALEXANDER VI.

1. *Universis Æc.* Rome apud S. Petrum anno Æc. 1492, IV Non. Augusti, Pontif. a. I. (1492 d. 4 Aug.). Cum Papa accepisset, quod Nobilis vir Stenno Sturr (Steno Sture) Vice Rex Regni Sveciæ, ex certis causis animum suum ad id moventibus, nonnullos Equos (numero VI) ac certas foderaturas de Hermelinis & Marta, Johanni Electo Perusino Papæ Datario, pro usu Domus Papalis ex eodem Regno ad Urbem transmittere intendat; Pontifex requirit & mandat, ut dicti equi ac res, per omnia territoria, portus, pontes &c. absque solutione alicujus datii, pedagii, passagii, theolonii, fundinavis vel gabellæ &c. transire permittantur, nullaque vel equis vel eorum conductoribus injuria aut molestia inferatur, sed singuli, quotiens super hoc requisiti fuerint, de securo transitu, scorta, salvo conductu & recepta iis providere curent. — Ex Reg. Literar. Apostolicar. Alexandri P. P. VI, To. 108 p. 100.

2. *Archiepiscopo Upsalensi & Episcopo Aboensi (a). Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominice 1496, X Kal. Julii, Pontif. a. IV (1496 d. 22 Junii). Indulgentiæ amplæ omnibus conceduntur, qui contra Rusos, crudeles Finlandiæ & Livoniæ hostes, arma capere, aut subsidia conferre voluerint. Ob lucem quam rebus affert nostris, initium Bullæ integrum dabimus: "Ex relatione dilecti filii Hemingi Gadh, Prepositi Ecclesiæ Lincopensis, Familiaris & Cubicularii nostri, & totius Regni Suetiæ apud Sedem Apostolicam Oratoris accepimus, quod anno proxime immediate elapso, circa festum S. Andree Apostoli, & pluribus aliis vicibus, Rutheni Scismatici, Christi nominis inimici, cum sexaginta milibus hominum magnam partem Aboensis Diocesis in Regno Suetiæ constitute, incendiis ecclesiarum, blasphemationibus nominis Christi & ejus Sanctorum, cedibus, rapinis, matronarum ac virginum illarum partium violationibus, stupris & deflorationibus, ac homicidiis, quam plurimum devastarunt, multa milia Christianorum occidendo & servituti perpetue subiciendo, adeo quod vix in partibus illis reperitur qui contra eosdem Scismaticos pugnare & se defendere velit aut possit, & nisi de ceteri & opportuno remedio provideatur, tota Diocesis Aboensis & demum Regnum Suetiæ, cum terra Livoniæ & provinciis ei adjacentibus, per dictos Scismaticos subjugari formidatur. Eapropter nobis supplicari fecerunt humiliter, dilecti filii Steno Sture, dicti Regni Suetiæ Vicerex & Governator, ac ejus & regni predicti Archiepiscopus, Episcopi, Consilarii, qui ultra quinquaginta milia hominum hodierna die contra dictos Scismaticos castrametati sunt, quatenus illis, qui in fine terrarum Christianorum & confinibus dictorum Scismaticorum continua bella gerendo consistunt, more pii patris compatiendo omni-*

O 2

(a) *Jacobo Ulphonis & Magno Nicolai. Cfr. RHYZELIUS l. c. p. 50 sq. & p. 338 sq.*

"mnibus & singulis, utriusque sexus Christi fidelibus, in dicto re-
 "gno & terra Livonie pro tempore existentibus, & quibusvis a-
 "liis, qui contra dictos Scismaticos & ad eos compescendum &
 "debellandum ire, & pro Christi nomine contra illos debellare
 "voluerint, ac qui premissa faciendo in die conflictus decedere
 "contigerit, vere penitentibus & confessis plenariam omnium su-
 "orum peccatorum remissionem, nec non senio confectis aut alio
 "quovis impedimento legitimo impeditis & ibidem ire minime
 "valentibus, qui ad premissa manus porrexerint adiutrices, ar-
 "matis stipendiando, aut alias quovis modo subveniendo, similem
 "peccatorum suorum remissionem, semel in vita, & in mortis ar-
 "ticulo, auctoritate Apostolica concedere & indulgere dignare-
 "mur." Etc. — Indid. To. 102 fol. 296 t.

LEO X.

1. *Johanni Angelo Arcimboldo, Referendario ac ad nonnullas
 provincias ultramontanas Nuncio & Commissario nostro. Rome &c.
 d. Septembris 1516.* Quod facultates Camerae Apostolicae non
 sufficerent pro continuatione immensi operis Basilicae S. Petri de
 Urbe, Papa hunc *Arcimboldum* ad nonnullas Provincias, Civita-
 tes & Dioeceses ultramontanas (de quarum numero provincia
 Upsalensis erat) Nuntium & Commissarium suum in commodum
 dictae fabricae destinaverat, ad pecuniam pro oblata peccatorum
 remissione colligendam. Cum vero literae Papales ea de re da-
 tae, ad tempus tantum biennii hanc ei concessam facultatem (ad
 Dioecesin etiam Misnensem postea extensam) refringerent, &
 Papa intelligeret, eum interim commisionem sibi creditam plene
 exsequi haud valere, praesertim quoad provinciam Upsalensem,
 quam nondum adierat (nec non dioecesin Misnensem); nunc tem-
 pus illius negotii gerendi primitus ei praescriptum, prorogat: quo-
 ad Regna (Septentrionalia?) & provinciam Upsalensem & Dioe-
 cesin

cesin Misnensem altero addendo biennio, quoad alias vero in literis prioribus expressas (locis temporali subjectis dominio *Caroli Regis Catholici* duntaxat exceptis) ad annum. Cumque non sine animi dolore Papa intellexisset, in dicta provincia Upsalensi inter nonnullos Prælatos ac Proceres & Communitates, procurante zizanix seminatore diabolo, ortas esse disensiones admodum graves, ex quibus gravissima bella verisimiliter nascitura essent, in infidelium & Christianæ fidei hostium, Ruthenorumque Scismaticorum ei Provinciæ vicinorum, consolationem ac Reip. Christianæ infirmationem, eidem *Arcimboldo* (quem ad tollendas disensiones prædictas & alia negotia peragenda Apostolicæ Sedis Nuntium & Angelum pacis, cum potestate Legati de Latere illuc mittit) injungit, ut infra unius mensis spatium post præsentationem præsentium literarum, versus dictam provinciam iter arripiat, & illud sine notabili mora personaliter continuet, omnesque & singulos Prælatos, Proceres & Nobiles ac Communitates, ad concordiam exhortetur, & pacem inter eos summo conatu componere studeat, illaque composita decretum, pecuniaria etiam pœna suo arbitrio statuenda, ac quacunquæ alia vallatum, auctoritate Papæ interponat, & si forsitan jam bellum inchoatum reperit, treugas ad opportunum tempus indicet, infra quod partes audire ac belli causas plene intelligere, & partes componere, vel Papæ quæ allegata fuerint significare partesque ad illius audientiam assignare, competenti eis termino præstituto, posset. Tergiversantes vero per sententias & censuras ecclesiasticas, pœnas pecuniarias & alia opportuna juris remedia, (interdictum quoque ecclesiasticum), coercendi, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Nuntio potestas tribuitur (a). —

O 3

(Ob

(a) Non dissimulat Papa causam, cur de concordia inter Prælatos & Proceres Regni concilianda adeo esset sollicitus, ut nempe Legatus incolis se posset singulis reddere gratiosum, & sic negotium colligendæ pecuniæ feliciter exsequi. — Cæterum hæc literæ ad gesta *Arcim-*

(Ob gravem quam vetustatis vitio passum fuit scriptum originale injuriam, lacunæ in apographo nostro molestæ occurrunt). — Ex To. 3 Arm. 39. N:o 244.

2. *Nobili viro Stenoni Stirr (Sture) Regni Suetie Governatori. Ibid. d. 6 Sept. 1516, A. IV.* Commendatur favori ejus idem *Arciboldus* ad quem Litteræ proxime præcedentes misæ fuerant, commissumque illi negotium, cum pacis inter Prælatos atque Optimates Regni conciliandæ, tum subsidii ad fabricam Basilicæ S. Petri colligendi. — Subscriptum literis legitur: *L. (b) Card. Sanctior. Quatuor, & Jac. Sadol. (c)* — Ex Archetypo Brev. Leonis P. P. X. T. 3. N:o 179.

3. *Nobili viro Joachim Marchioni Brandenburgensi, Principi Electori. Ibid. d. 14 Sept. 1517, a. V.* Retulerat Papæ *Johannes* Episcopus Revaliensis, Electorem ei spem dedisse auxilii sui, ut aliquam Cathedralē Ecclesiam ex eis quæ sub temporali Electoris dominio constitutæ sunt, vacatione existente assequeretur: quo Principis consilio laudato, idem Episcopus ei meliorem in modum commendatur. Porro Electorem Papa hortatur, ut bellum inter *Christiernum* Daniæ Regem & Governatorem atque populum Sveciæ ortum, sopire studeat, & eosdem ad concordiam reducere conetur. — Subscriptis literis his reperitur *Bembus (d)*. — Ex Archetyp. Brev. Leonis P. P. X. To. 3. N:o 280 (e).

4. *Chri-*

boldi illustranda, ac mitius æquiusque de consiliis ejus judicium ferendum, non omnino nihil pertinent. Cfr. DALIN *Svea Rikes Hist.* T. II. C. XX. p. 16.

(b) *Laurentius Puccius* Presbyter Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum. Vid. CIACONIUS I. c. T. III. p. 337.

(c) *Jacobus Sadoletus*, vir in Rep. Literaria celebris, eo tempore Secretarius Papæ, postea Cardinalis.

(d) *Petrus Bembus*, Leonis Papæ tum Secretarius, postea Cardinalis, doctrinæ fama celeberrimus.

(e) Duplex harum literarum exemplum, diverso tempore fuit ad Gene-

4. *Christierno Daciæ Regi illustri. Romæ die XVI Augusti 1519, A. VII (f).* Questus apud Papam *Christiernus* fuerat, de inimicis *Arcimbaldi* adversus Regem consiliis atque conatibus; Papæ maxime inexpectatis ac haud gratis. Docet vero Pontifex, eundem Legatum suum sibi per literas significasse, quendam famulum suum Regi sese injuste prodidisse, atque falsa inſimulatione Regem decerpisse. Quare Papæ optimum factu visum fuit, eundem Legatum revocare & examini severo subicere; quem, si culpabilis deprehensus fuerit, sese graviter puniturum asseverat, eamque ob causam se Archiepiscopo Lundenſi mandasse, ut testes super gesta ejus examinaret, eorumque depositiones ad Papam mitteret. Interim monet Regem, ut fratrem & servitores Legati, qui secretorum suorum conscii esse non potuerant, nec non pecuniam ab eodem pro fabrica Basilicæ S. Petri collectam atque majoris lucri causa in merces conversam, quam sine causa Rex sequestraverat, relaxaret, idque eo citius, quod merces ipsæ iis locis vendibiles non essent, ac si diutius retinerentur, corrumpi possent; quæ contra, si in Germaniam transmitterentur, multo forent vendibiliores. Quamobrem Regem hortatur, ut tam aurum & argentum quam alias merces in Antverpiam ad Mercatores *de Fucharis* transmitti curet, Basilicæ S. Petri impensis, cujus opus, universæ charitatis auxilio indigens, Papa absolvere intendit. De *Balsamo*, quod satis modicum Papa haberet, non magnam se posse Regi mittere quantitatem addit; quod autem pro conficiendo Sacro Chrismate in Ecclesia Roskildensi sufficere posset, libenti ei animo transmittit. — Indid. ex To. IV. Arm. 39. N:o 121.

5. - - - -

rossif. FREDENHEIM transmissum; quorum altero adscriptum legitur: *Ex To. III Armar. 39. N:o 280.*

(f) Ablegat lectores suos ad has easdem Papæ litteras Generof. v. DALLIN l. c. p. 291; quo magis miramur, Nob. A CELSE nullum omnino earum facere mentionem!

5. - - - - (g) *Archiepiscopo Lundensi*. Loci & temporis nota (ex superioribus tamen literis facile supplenda) deest. Eadem de *Arcimboldo*, de Regis *Christierni* de eo querela, bonorumque fuorum sequestratione, quæ in proxime superioribus habebantur literis, continet. Hortatur igitur Archiepiscopum Pontifex, ut quam plurimum ad Regem valeret gratia ei suaderet (rationibus suggestis iisdem quas in literis ad Regem attulerat) ut merces a Legato acquisitas relaxari faciat, atque in Germaniam ad Mercatores de *Fucharis* mitti. Mandat porro Archiepiscopo, ut testes curet examinari super iis quæ per *Arcimboldum* gesta fuisse dicebantur, & quæ invenerit in processu faciat annotari, quem clausum & suo munitum Sigillo quamprimum transmitti ad Pontificem curet, ut cum *Arcimboldus*, ab hoc revocatus, Romam venerit, videat quomodo ea justificare aut super illis se excusare possit. — Indid. ex To. 8. Arm. XLIV. p. 35 & 36.

6. *Dilecti filii Salutem &c.* Neque ad quos hæ litteræ misæ sint, neque locus aut tempus datarum, adscriptum invenitur. Videntur tamen ad eosdem Mercatores Antverpienses de *Fucharis*, quorum in superioribus litteris mentio facta fuit, esse scriptæ. De mercibus agunt ab *Arcimboldo* in Svecia comparatis & a R. *Christierno* sequestratis; quas cum Regem relaxaturum esse speraret Pontifex, Mercatores hortatur, ut quam primum allatæ fuerint, eas recipiant easque pro justo pretio vendi curent, ac pecuniam inde confectam servant, donec Papa quid de illa fieri voluerit, illis significaverit. — Indid.

PAULUS III.

1. *Guido Ascanius Sfortia* tit. S. Eustachii Diaconus Cardinalis de Sancta Hora nuncupatus, Sanctæ Romane Ecclesiæ Camerarius, Nicolao Episcopo Dunelmensi (s. Dulmensi?) in Romana Curia

(g) *Birgero Gannari?* Cfr. RHYZELIUS l. c. P. II, p. 27.

"Curia Residenti, de mandato &c. & auctoritate &c. harum serie committimus & mandamus, quatenus - - - - *Olao Gotho* Ecclesie Upsalensis presenti Electo - - - - munus consecrationis impendatis" &c. Datum *Rome in Camera Apostolica die 28 Junii 1544, Pontif. S. D. N. D. Pauli Div. Prov. Pape Tertii anno Decimo (a)*. Subscriptit *Michel Angelus*. — Ex To. 135. Div. Camer. p. 45.

GREGORIUS XIII.

I. *Nobili viro (Sigismundo) Principi Suetiæ. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Febr. MDLXXXV, Pontificatus A. XIII.* Lætitiâ suam Pontifex significat, quod Princeps, Matre orbatus, constantiam (quam & laudat & commendat) in profitenda fide Catholica demonstrat progresusque in virtute indies faciat majores; quumque sibi innotuisset, eum libenter audire Psalmodym divinæ laudis, quæ more majorum Christiano ritu decantantur, tres quos diligenter elegerat ad eum mittit juvenes ecclesiastici cantus non ignaros, qui etiam, quoniam sacrarum literarum non mediocrem haberent cognitionem, in aliis quoque Christianæ disciplinæ colloquiis utiles ei esse possent. — Ex To. 19 *In Script. Collectan. di Scritt. di Fiand. Olland. Suetia &c.*

SIXTUS V.

I. *Joanni Suetiæ Regi Illustri. Romæ apud S. Petrum &c. die 27 Decemb. 1585, Pontif. A. 1.* Literæ (Novi Pontificis) salutationis, officii & cohortationis ad Regem, quem excellere compererat studiis Catholicæ Religionis in Regno suo universo constituendæ, propagandæ, tuendæ, quam ei Papa enixe commendat. — Ex Regesto Brev. Sixti P. P. V. To. 3. p. 130.

P

2. No-

(a) Cfr. Literæ P. PAULI III datæ die 16 Oct., ej. a. recensitæ apud A. CELSE l. c. p. 220.

2. *Nobili viro Sigismundo Suetiæ Principi. L. a. E& d. iisd.*
Cohortatur Principem (de cuius indole magnam habebat exspectationem) Papa ad pietatem cæterasque virtutes; quarum (nec non apud bonos gloriæ, apud Deum gratiæ) magnam materiam ei suppeditabit *Hæreticorum, hoc est, Christi hostium qui in ditione ejus erant, nequitia atque perfidia*, ad quos convertendos (monendo, hortando, rogando, *terrendo*) eum diligenter excitat. — (subscripsit *Ant. Buccapadulus*) — Indid. p. 133.

Additamentum.

Quum præter Literas Papales in *Bullariis Örnhjelmiano & Peringsköldiano* obvias (a), quarum recensum exhibuit Nobil. A CELSE (in opere laudatissimo, cui his plagulis supplendo *Generosif. Fredenheim* nos pares fecit), nonnullas in *Libro Privilegiorum* (s. *Registro*) *Ecclesiæ Aboënsis* (b), licet a laudatis nuper dumviris de re nostra antiquaria meritisimis non perfunctorie excusso, præteritas tamen ab iis Bullas reperiremus; hac opportunitate ad illas quoque reliquæ copiæ adjungendas, adeoque hunc Apparatum Historiæ Patriæ, Medii quod vocant Ævi rebus illustrandis apprime idoneo, quantum nobis liceret pleniorē reddendum, uti placuit.

GREGORIUS IX.

1. *Episcopo E& Preposito Rigensi, E& Abbati de Dunemunde, Cisterciensis Ordinis, Rigensis Dyocesis. Perusii X Kal. Febr. Pontificatus*

(a) Cfr. supra *Prolegom.* p. 1, quemque ibi laudavimus a CELSE *Secl. I. S. II & III*; cui addatur WARMHOLTZ *Biblioth. Hist. Sviogothica*, P. III, p. 148 - 151, N:o 1863, 1864.

(b) De quo cfr. (præter Nob. WARMHOLTZ l. c. p. 213, N:o 2079) editum a nobis PAULI JUUSTEN *Chronicon Episcoporum Finlandensium*, Præf. p. 4, & *Föl. Hebdom. Aboëns.* (*Tidningar utgifne af et Sällskap i Abo*) a. 1782, N:o 32, p. 249 sq.

catus A. II. (d. 29 Jan. 1229). Quoniam Finlandensis Episcopus (Thomas) in Finlandia & terris vicinis magnum populum ydolatrie cultui servientem, euangelicando nomen Domini nostri Jesu Christi, de novo, ut dicitur, acquisivit eidem; Rutheni autem, qui propinqui sunt eis, minimum (?) abhorrentes ipsos, pro eo quod fidem Catholicam susceperant, multipliciter deserviunt in eosdem, modis quibus possunt ad eorum interitum & dispendium intendendo: injungit Papa Episcopo, Preposito & Abbati, ut monicione premisa per censuram ecclesiasticam (appellacione remota) cogant Mercatores de partibus suis (Rigenses, Visbyenses, Lubecenses, Bremenenses, &c.), ne mercimonia cum illis exercent, donec desinant persequi de novo conversos ad fidem in terris eisdem. — Apographon legitur in Libro (s. Registro) Ecclesie Aboensis, Fol. 43 (c).

2. Episcopo Lincopensi, Abbati Guthlandensi, & Episcopo Lubicensi. L. a. & d. iisdem. Ejusdem plane tenoris. Ibidem (d).

3. Episcopo Lincopensi & Abbati de Guthlandia Cisterc. Ordinis, & Preposito de Visby, Lincopensis Dyocesis. Perusii XIII (e) Kal. Marcii a. II (d. 16 Febr. 1229). Querente Episcopo Finlandensi, quod cum in Dyocesi sua sit novella Christi plantacio, sic animos quorundam de Gudlandie partibus ceca cupiditas occupavit, ut qui gloriantur in nomine Christiano, paganis intendentibus ad exterminium plantacionis ejusdem, in armis, equis, navigiis, victualibus & aliis mercimoniis subvenire presumant: in quo pares aut etiam superiores in malicia fiunt illis, dum eis ad impugnandos Christianos necessaria subministrant; mandat Papa Episcopo, Abbati & Præposito ut mercatoribus de Gutlandia interdicanet & inhibeant expresse, ne paganis predictis in premisis vel aliis audeant subvenire, & eos qui

P 2

con-

(c) Cfr. Annot. nostras ad editum a nobis JUSTENI *Chronicon* nuper memoratum p. 101.

(d) Cfr. l. c.

(e) L. c. p. 102. not. 71. lin. 2. per errorem typographicum legitur XIII.

contravenire presumpserint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, comescant. — Ibid. Fol. 44 (f).

4. *Militibus Christi in Livonia. Anagnie Octava Kal. Decembris A. VI* (d. 24 Nov. 1232). Hortatur eos, iisque in remissionem peccaminum injungit, quatenus (ut) ad provinciam Finlandie, pro defendenda novella plantacione ad Christi fidem in ea noviter conversorum, contra infideles Ruthenos, personaliter accedentes, cum consilio -- Finlandensis Episcopi, qui assumpsit in premisis partibus negotium fidei ex animo persequendum, defensionem eorum insisterent viriliter & potenter. — Ibid. (g).

INNOCENTIUS IV.

1. *Episcopo (h) & Clero & populo Finlandie. Lugduni VI Kal. Septemb. Pontif. A. VII* (d. 25 Aug. 1249). Exemplo Prædecesoris sui Gregorii IX (h), Episcopum, Clerum & Dioecesim Finlandiæ sub b. Petri & sua protectione suscipit. — Ibid. Fol. 46 (i).

BENEDICTUS XII.

1. *Preposito, Decano & Archidiacono ecclesie Upsalensis. Avemione V Kal. Julii, Pontificatus A. VI* (d. 28 Maji 1340). Quer-

ren-

(f) Cfr. *Annott. ad Chron. Juustez* p. 102, Not.

(g) Cfr. l. c.

(h) *Beroni?* Cfr. l. c. p. 12, 128, 190.

(i) Recenset quidem A CELSE l. c. p. 73. N^o 24. Bullam *Wilhelmi Sabinenis Episcopi, Legati Pontificii, datam Visby Nonis Junii, Pontificatus Innocentii IV^{ti} A. V^o* (d. 5 Junii 1248?), in Registro itidem Aboënsi fol. 46 sq. obviam; sed minus accurate mentem ejus expressit, dicens illa *Clericis Aboënsis Diocesis veniam concedi testandæ bona sua bæreditaria Monasteriis*. Qua de re sententiam exposuimus nostram remque excusimus *Annott. ad Chronicon Juustenianum*, p. 186, Not. 45.

rente *Henrico Hartmanni*, Rectore ecclesie de *Saxamæki* (*Sååxmåki*) Aboënsis Dicecesis, qui Curiam adierat Papalem, "quod licet Priori generali & Fratribus Ordinis Prædicatorum, per Apostolice Sedis privilegium indultum fore dicatur, ut possint habere Altare portatile, super quo in locis & villis quibuslibet, sine preiudicio tamen parochialium ecclesiarum, Missam & alia Divina Officia celebrare valeant, tamen Prior & Fratres domus dicti Ordinis prope civitatem Aboensem, pretextu indulti hujusmodi, in parochia dicte ecclesie Saxamæki super Altare Portatile Missam & alia divina officia celebrare & ad Missam & alia divina officia parochianos dicte ecclesie convocare & oblationes recipere ac in usus suos convertere propria temeritate presumunt, in eorundem Rectoris & ecclesie præiudicium & gravamen. Cum autem dictus Rector, sicut asserit, dictorum Prioris & Fratrum dicte domus potenciam merito perhorrescens, eos infra civitatem seu dyoccesim Aboensem nequeat convenire secure," Papa Upsaliensibus mandat, ut utraque parte audita, testibus examinatis, reque diligenter expensa, controversiam iuste dirimant. — Ibid. Fol. 50 sq. (k).

2. Decano Ecclesie Upsalensis. Ibid. XVI Kal. Julii A. VI (d. 16 Jun. 1340). Eodem petente *Henrico Hartmanni*, Papa jubet parochianos quosdam ecclesie *Sååxmåki*, qui Decimas de proventibus terrarum, vinearum (l), ortorum (hortorum), molendinarum pratorum, possessionum ac aliorum bonorum Rectori (Curato vel Pastori) suo solvere detrectabant, quandam pravam consuetudinem, que corruptela dicenda est potius, pretendentes, videlicet quod de talibus

P 3

nul-

(k) Cfr. I. c. p. 297 sq.

(l) Curie Papali, solitam formulam secure repetenti, in mentem non veniebat, vineas in *Tavastia* nullas haberi potuisse. Sed recens tamen plantas & arbores in hac terra novas coli, nec non *Molendina* exstrui cepisse, hinc colligas? Cfr. *Annot. ad Chronicon Juusten.* p. 299. Not. 220.

nulli adhuc decimas persolverunt, easdem integre solvere, & refractarios censuræ ecclesiasticæ telo compesci (m). — Ibid. Fol. 1. sq. (n).

URBANUS V.

1. *Henrico Episcopo, & Capitulo Aboensi. Avinione XI Kal. Novemb. A. IV (d. 22 Octob. 1338).* Personas & ecclesiam eorum, cum omnibus bonis jam possessis & in futurum adipiscendis, Papa sub b. Petri & sua protectione suscipit. — Ibid. Fol. 49 (o).

2. *Henrico Episcopo Aboensi. L. a. & d. iisdem.* Beneficia ecclesiastica, (cum cura & sine cura), ad præsens vacantia, dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, aut ad eandem devoluta, *hac vice* conferendi potestatem Episcopo, ob locorum longinquitatem, Papa benigne (variis tamen additis cautelis) concedit; dummodo reditus eorum valorem *septem marcarum argenti*, secundum communem æstimationem, non excedant. — Ibid. (p).

3. *Episcopo (Johanni) & Capitulo Aboensi. Janue VII Idus Martii A. VIII (d. 9 Martii 1370).* Immunitates & libertates, a Prædecessoribus suis indultas, nec non a Regibus, Principibus vel Christi fidelibus Episcopo & Ecclesiæ suæ concessas, Papa confirmat. — Ib. Fol. 50 (q).

4. *Johanni Episcopo Aboensi. Avinione XVII Kal. Novemb. A. IV*

(m) Alia est hæc Bulla ab illa quam recenset A CELSE l. c. p. 117. N:o 12, etiam illa in *Reg. Aboënsi* (Fol. 1.) reperiunda. Cfr. *Annott. citt.* p. 298.

(n) Cfr. *Annott. ad Chron. Faust.* p. 297 fqq.

(o) Totam exscriptam dedimus l. c. p. 343, Not. 282.

(p) Etiam hanc l. c. attulimus integram.

(q) Cfr. *Annott. ad Chronicon Faust.* p. 355 & 356, Not. 307.

A. IV (legendum forte VIII?(*r*)) (d. 16 Oct. 1366 (1370?)). Ex speciali gratia Papa Episcopo permittit, ut *Misfam antequam illucescat dies*, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, celebrare, aut per alium idoneum sacerdotem facere celebrari, ei liceat. — Ibid. Fol. 50 (*s*).

5. *Eidem. Ibid. XVI Kal. Novemb. A. VIII* (d. 17 Oct. 1370). Permittitur eidem potestas *Altare habendi portatile*, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, possit celebrare aut celebrari facere, *Misfam & alia Divina officia*, in sua præsentia, sine juris alieni præjudicio. — Ibid. Fol. 50 (*t*).

GREGORIUS XI.

1. *Strenginensi & Revaliensi Episcopis, & Abbati Monasterii in Padhes Revaliensis Dyocesis. Rome apud S. Petrum V Kal. Aprilis, A. VII* (d. 28 Mart. 1377). Agit de alienatione *Castrorum, terrarum & Villarum Mensæ Episcopi Aboënsis ablatarum*. — Ibid. Fol. 48 (*u*).

UR-

(*r*) Causam attulimus I. c. p. 357. Not. 302. Nempè *Jobannes* (Petri) ad Episcopalem Sedem nonnisi post A. demum 1362, quo antecessor suus *Henricus* (docente *Juusteno* I. c. p. 16, cfr. tamen p. 346. Not. 283) obiit, promoveri potuit.

(*s*) Cfr. *Annot. ad Chron. Juusteni*, p. 356, Not. 302.

(*t*) Cfr. I. c.

(*u*) Ejusdem plane (mutatis mutandis) tenoris ac illa quam recenset A CELSE I. c. p. 66. Not. 22, de recuperandis bonis *ad Ecclesiam & Capitulum Aboënsis* pertinentibus. Utramque autem Encyclicam fuisse, & a Papa Gregorio XI (non IX, quamvis annus 1263 apographo in *Registro Aboënsi* appositus cernatur) disputavimus *Annot. ad Chron. Juusteni*, p. 364-368, præeunte Nob. A CELSE I. c.

URBANUS VI.

1. *Archiepiscopo Upsalensi eiusque suffraganeis. Rome apud S. Mariam trans Tyberim VIII Iduum Novemb. A. I. (d. 6 Nov. 1378). Anti-Papam (Clementem VII) Robertum Gebennensem & assecclas suos Cardinales tres (Johannem, Geraldum & Petrum) Prælatosque & optimates complures alios (quorum facinora recenset) acerbè condemnat, excommunicat & anathematizat. — Ibid. Fol. 51, 52, 53 (x).*

2. *Johannes Titulo Sancte Sabine, Adam tit. Sancte Cecilie, Ludovicus tit. S. Marci, Bartholomeus tit. S. Laurentii in Damaso, & Martinus (Marinus) S. Potenciane, Presbiteri, ac Gentilis S. Adriani Dyaconus - - - Cardinales, - - - salutem in Domino & presentibus fidem indubiam exhibere. Locus, annus & dies in literis ipsis, (infelcium horum Cardinalium, ab Urbano VI crudeliter necatorum, nomine scriptis), non habentur; sed margini apographi in *Reg. Aboënsi* occurrentis adscriptus est annus 1378 (pro quo substitui debet 1385?). Crimen suum confitentur, rei gestæ feriem exponunt, veniamque humiliter petunt. — Ib. Fol. 62 sq. (y).*

INTERREGNUM PAPALE.

1. *Sacrofancta & generalis Synodus (Constantiensis) Episcopo Revaliensi. Constancie VII Kal. Julii A. a nativitate Domini 1417, Apostolica Sede vacante. Decimæ, census, redditus, terræ, domus, possessiones, prata, pascua, nemora, grangiæ, molendina, jura, jurisdictiones & alia bona ad Mensam Episcopalem spectantia, tam ab Episcopo Magno quam Prædecessoribus suis abalienata, revo-*

(x) De hac Bulla, illamque exhibentibus literis *Birgeri*, Archiepiscopi Upsaliensis, egimus *Annot. ad Chron. Juust.* p. 381 sq. & Not. 337.

(y) De his quoque literis commemoravimus p. 324, nec non de aliis eandem causam spectantibus, a *Carolo* Rege Neapolitano exaratis,